UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Svmmarivm Homiliæ Qvadragesimænonæ Seqventis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

mortui, quem talem conſpicata circumcirca rugitus edit horrendos, linguaque per triduum demiſſa, illi acclamat, in hanc & alteram vertit partem, die vero tertio quaſi maternis rugitibus excitatus aſſurgit factus leo formoſiſſimus. Sic mœſtiſſimæ contigit Virgini. peperit enim filium ſuum mortalem: quem diebus hiſce videt plangitque mortuum. O quales rugitus! quæ ſuſpiria! qui circum illum gemitus! iam caput eius conſiderabat ſpinis vndequaque tranſfoſſum, iam manus clauis perforatas, iam linguam felle & aceto amaricatam &c. Quos edit triſtiſſima rugitus! Excitant hi à morte leonem.

Isai.21. Pie conſiderare poſſumus ad voces has dilectiſſimæ matris ſuæ Chriſtum SS. Patribus illud dixiſſe variis Iſaiæ: *Ad me clamant ex Seir* De mundo clamores ad me mittit mater mihi chariſſima: quocirca ad primam auroram prodit anima illa ſanctiſſima de limbo pariter omnes illos ſecum educens. Corpus ingreditur in ſepulchro mortuum, & vitam infundens illi iam gloriſam efficit illud adeo reſplendens & fulgidum, vt illud nulla valeat lingua declarare. Dote igitur ſubtilitatis beatum clauſo prodit ſepulchro, & illico ad puriſſimæ Matris ſuæ receſſum tendit interiorem: illum ingreditur ſole formoſius. O bone Deus, quis materni pectoris iubilum explicet quis fari poſſit gaudia? Si dicere poſſit quod *Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meã*, & dolores fuerint quales diximus, mare immenſum, qui inter viuentes diuiſi cunctos ſufficerent occidere: quale illud fuiſſe gaudium arbitramur? Mare iterum immenſum vt neceſſe fuerit, à Domino cor illi corroborari, ne dirumperetur, & præ nimia diuideretur alacritate: ſicut enim exceſſiua poteſt interimere triſtitia, ex eo quod conſtringat cor: poteſt etiam exceſſiuum gaudium ex eo quod illud nimis dilatet & amplificet. O quales amplexus! O quæ cordis iubila! Illuc SS. illi Patres acceſſerunt ex tanta ſtupefacti pulchritudine toti eff..ſi coram illo in gratiarum actiones, vtpote quia medium ipſa fuerat repabationis noſtræ & ſaluationis. Hæc ſunt feſta Paſchalia, illa nobis talia Deus largiatur, vt illa hic per gratiam læti celebrantes iiſdem in altera vita beati gaudeamus. Amen.

Rectione gaudium.

Pſ.93.19.

SVMMARIVM

HOMILIÆ QVADRAGESIMÆNONÆ SEQVENTIS.

EXcellentiſſimus eſt Reſurrectionis Dominicæ triumphus, eumque ita diuinc Propheta regius decantauit, vt diabolus hac muſica perterritus fugam arripiat, & quidem multo velocius, quam ob eam quam coram Saule cecinerat. *a*. Tria declarat. *b*. Primum: triumphatorem hunc verum eſſe Deum. *c*. Secundum: quinam ſint deuicti: tres ſcilicet diabolus. *d*. mors. *e*. & Iudæi qui illum execrabantur. *f*. Tertium: in cuius commodum triumphus hic ceſſerit & victoria. *g*. Tandem finem imponit Eccleſiaſtes, proteſtatus quandoquidem ſuo ipſe muneri ſatisfecerit, auditores videant ne ſuæ deſint obligationi. *h*.

a §. 1.
b §. 2.
c §. 3. 4.
d §. 5. 6.
e §. 7.
f §. 8. 9. 10. 11.
g §. 12.
h §. 13.

1. §. *Quia in Pſalmo ſexageſimo ſeptimo decantatur triumphus Reſurrectionis Chriſti, timet, fugitque diabolus dum cantatur.*

§. 2. *Tria declarat David quibus triumphus Reſurrectionis Domini redditur illuſtriſſimus.*

§. 3. *Supremum opus Chriſti, quo ſe Deum manifeſtauit, fuit ſuiipſius reſuſcitatio.*

§. 4. *Opus hoc Iacob eleganter deſcripſit ſomno leonis.*

§. 5. *Excellentiſsime per Reſurrectionem Chriſtus de diabolo triumphauit, quem ita confregit, vt ipſemet D. Antonio teſtatur*

§. 6. Opti-

§. 6. *Optime declarauit D. Paulus rationem qua Chriſtus de dæmone triumphauit, quem expoſuit irriſioni.*

§. 7. *Reſurgens Chriſtus de morte triumphauit, mortuam eam relinquens & conquaſſatam.*

§. 8. *Glorioſe triumphauit Chriſtus de Iudæis, eorum machinas vt fumum diſſoluens.*

§. 9. *Præfiguratus fuit Chriſti de Iudæis triumphus, in triumpho Samſonis de Philiſtæis.*

§. 10. *Impletur oraculum Iſaiæ, quod Deus diuitem procurabit ad Chriſti mortem qui fuit Ioſeph ab Arimathia.*

§. 11 *Hic liquido conſtat, quod ait Iſaias, dabit impios pro ſepultura Chriſti.*

§. 12. *Victoria Reſurrectionis Domini eo dirigitur, vt iuſti exultent, & cum eo hilares epulentur.*

§. 13. *Finem imponit Prædicator officio ſuo denarium Dei dans: ipſenamque eſt, quem debent Auditores reddere illum cum vſuris: vt autem hoc congruenter digneque faciant, pro illis Prædicator intercedit.*

HOMILIA XLIX.

FERIA II. PASCHATIS.

Reſurrectionis Domini.

Duo ex Diſcipulis Ieſu, ibant ipſa die in caſtellum, quod eſt in ſpatio ſtadiorum ſexaginta. Luc. 24.

☞ I

D. Ambr. Lib. de Ioſeph c. 13. in fine Tom. 1.

1. Cor. 15. 14.

(a) Tan de cal ij can- 10.

Act. 10. 41.

I. Myſterium Reſurrectionis fi-

DOctor illuſtrimus D. Ambroſ. vocat articulum Dominicæ Reſurrectionis: *Primam & maximum fundamentum*: quia huic innititur quidquid de noſtra ſaluatione credimus: *Si Chriſtus non reſurrexit*, argumentatur Apoſtolus, *inanis eſt fides veſtra, inanis eſt & prædicatio noſtra.* Quia vero ædificii magni fundamentum neceſſario ita collocari debet vt firmum ſit & ſecurum, ne ſuperpoſitum opus collabaſcat, Chriſtus Dominus noſter hoc ſolidare voluit, & argumentum conficit ita irrefragabile (a) vt nullum ſuperſit in hoc myſterio dubium, illis ſe viuum exhibens, qui diſtincte probeque illum nouerant, atque cum eo familiarius egerant, vt in perſona eius nullatenus deludi potuerint. Hoc Diuus Petrus teſtatur: *Dedit eum manifeſtum fieri teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Noluit eos teſtes adhiberi, qui parum cum illo egerant, & minus conditiones eius particulares perſpectas habuerant, ſed nos, quibus ita cognitus eſt, vt cum illo conuerſati ſimus, biberimus & comederimus: & poſtquam à mortuis rediuiuus ſurrexit, idem cum ipſo perſonaliter; etenim optimum eſt in rigore iuris teſtimonium, quo perſonæ alicuius probetur identitas, quod ſæpe cum illo familiariter quis egerit, comederit, multis annis fuerit conuerſatus: inde de vna fuit inter alias hæc Chriſti ratio quare diſcipulos ſibi conſcripſerit, totque annis in claſſe ſua detinuerit, nimirum, vt teſtes huius myſterij poſſent eſſe legitimi: proinde idem Apoſtolus Diuus Petrus quando propoſuit alium in locum Iudæ ſupponendum qui congruus rerum omnium teſtis haberetur: *Oportet ex viris his, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis.* Illi ſunt qui teſtes eſſe poſſunt *Omni exceptione maiores.* Viri, qui priuſquam Chriſtus moreretur per integros cum illo annos conuerſati ſunt, à tempore baptiſmi & poſt eius reſurrectionem cum eo per quadraginta dies familiariter egerunt, donec in cœlum glorioſus aſcendit. Optime

poſſunt